

**Tentamen medicum inaugurale de rheumatismo acuto: : quod, annuente summo numine, ex auctoritate dignissimi vice-cancellarii, Archibaldi Davidson, S.S.T.P.P. et Collegii Glasg. praefecti; nec non amplissimi senatus academici consensu. Et nobilissimae facultatis medicae decreto; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite ac legitime consequendis; in comitiis Universitatis Glasguensis, / eruditorum examini subjicit Johannes Lord, A.M. Anglus, Societatis medicae Dubliniensis socius. Ad diem iv. Maii, hera locoque solitis.**

### **Contributors**

Lord, Johannes.  
University of Glasgow.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Glasgae : In aedibus academicis, excudebat Andreas Foulis, academiae typographus, M.D.CC.XC. [1790]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ej32gybx>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

RB5039





Digitized by the Internet Archive  
in 2016





Glasgow  
University Library



RB 5039

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

RHEUMATISMO ACUTO.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

1952

PHYSICS DEPARTMENT

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

RHEUMATISMO ACUTO:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGI GLASC. *Praefecti;*

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *Consensu,*  
*Et Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decretis;*

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES LORD, A. M.

ANGLUS,

SOCIETATIS MEDICAE DUBLINIENSIS SOCIUS.

Ad diem iv. Maii, hora locoque solitis.


*Ad utilitatem vitae omnia facta nostra sunt dirigenda.*

CICERO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,  
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.D.CC.XC.



JACOBO BILLINGE,

ET

DAUNTESEY, HULME

CONSANGUINEIS SUIE

APUD MANCUNIUM

NEQNON

JOHANNI CALLANAN, M.D.

APUD CORCAGIAM

MEDICINAM FELICITER EXERCENTI

HOC OPUSCULUM SACRUM ESSE

VOLUIT

JOHANNES LORD.

1892

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
OFFICE OF THE DEAN  
540 EAST SOUTH EAST AVENUE  
CHICAGO, ILLINOIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
OFFICE OF THE DEAN  
540 EAST SOUTH EAST AVENUE  
CHICAGO, ILLINOIS

## RHEUMATISMO ACUTO.

FORTASSE parum necessarium videbitur de morbo scribere, cujus et historia, et modus medendi in genere tam bene nota sunt: quoniam autem ipse saepius illius saevos passus sum dolores, jure quodam observata tradam de historia pariter ac curatione, quae, ut spero, attentione non prorsus indigna habebuntur.

## DEFINITIO MORBI.

Clarissimus Cullenus, nuper defunctus, cujus immensum ingenium, laborque assiduus, in praxeos medicae emendatione adhibita, perpetua servabuntur memoria, illis praecipue, quibus felicitas contigit, doctrinam simul ac voluptatem ex efficaci illius eloquentia, et infinita rerum cognitione hauriendi,—in sua synopsi nosologiae methodicae, hunc morbum in ordine phlegmasiarum collocatum, sic definivit.

Morbus, ab externa et plerumque evidente causa; Pyrexia, dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos infestans, calore externo auctus.

### HISTORIA MORBI.

In historia morbi scribenda, phaenomena manifesta et naturalia, summa cura annotanda sunt. Neque enim aut causae morbificae, aut indicationes curativae attingendae erunt, nisi symptomatis propriis prius ceret distincte perfectis; quorum ne minutissima quidem neglegi debent.

Rheumatismus antiquis minus perfecte notus fuisse videtur. Historiae ab illis traditae valde imperfectae sunt, cumque historiis, ut verisimile est, Podagrae et Catarrhi confusae. Quare et modus medendi parum idoneus, et ad morbum diuturniorem reddendum aptus.

Primus Botellus catarrhum, ut tum audiebat, inflammatorium distinxit, venaesectioremque laudavit. Ballonius autem, medicus Gallus, qui initio saeculi decimi sexti vixit, primus hunc morbum luculenter descripsit, et a Podagra sejunxit; hic verbo Rheumatismi utens, morbum inflammatorium indicavit, et consilium medendi iniit rationi consentaneum, venaesectiorem, et regimine justo. Hunc secuti sunt Riverius aliique;

in his imprimis magnus ille Sydenhamus, qui naturam morbi pleni depinxit, ejusque medelam emendavit et auxit.

Hic Rheumatismum in duas species, Acutum et Chronicum, dividit, singulaeque harum suam et diversam medendi rationem rite proposuit. Mihi de illa praecipue differendum.

Rheumatismus acutus borealis caeli incolas maxime adoritur; per magnam Britanniam et Hiberniam bene notus; calidis regionibus perraro visus. Grassatur imprimis, autumno et vere, hyeme rarior, continuato gelu; tempestati variae, praesertim pluviosae, familiarissimus. Aestate interdum adparet, tempestate diu mutabili existente.

Uterque sexus obnoxius; sequior tamen observatur saepius eo laborare. Ingruit maxime a tempore pubertatis, ad annum tricesimum quintum, et nonnunquam quadragesimum, vix vero postea. Interdum sed perraro ante pubertatem visus. Ipse duo exempla decennium cognovi, et quidem gravissima. Omnis corporis habitus in eum proclivis, imprimis vero sanguineus. Plerumque incipit a symptomatis pyrexiae; rigore, languore &c, quae calor, sitis, inquietas, cutis arida &c. pulsus plenus, frequens, et plerumque validus excipiunt.

Cum his quoque interdum Vertigo, et cibi nausea. Lingua arefcit, et crusta alba obducitur. Simul dolor indistinctus, vel potius sensus ingratus, saepe adest inter humeros, tanquam scapulae ad se invicem attra-



herentur. Molestus quoque sensus alterum latus ad-  
ficit, juxta vertebrae lumbares, quem aegrotus fre-  
quenter positurae corporis sedentis incommodae tribuit,  
saepiusque hujus mutatione levamen quaerit, sed frus-  
tra. Hos sensus plerumque excipiunt post unum al-  
terumve diem, interdum autem eadem nocte, dolores  
diversarum corporis partium; maxime autem junctur-  
rarum majorum, talorum, genuum, carporum, cubi-  
torum, humerorum.

Hi dolores nonnunquam, priusquam symptomata  
pyrexiae apparuerint, aegrotum adoriuntur; tunc vero  
Rheumatismus plerumque minus gravis fit. Dolores  
saepius ingruente nocte incipiunt; alteraque vi, cur-  
sum musculorum sequentes, varias juncturas afficiunt;  
nimirum tali et genu, carpi et cubiti. At non raro sin-  
gula junctura caeteris plus patitur. Aegrotus valde  
irrequietus, semper posituram artus affecti mutare ges-  
tit; metuit vero doloris maximum augmen, vel mini-  
mo motu induci solitum. Dolore perseverante, tumor  
non parvus, nec sine rubore, juncturas affectas circum-  
dat; tunc vero aeger paululum levatur; et versus Au-  
roram somnum capit citra requiem, dolore saepe inter-  
pellatum. Hic enim, licet minus quam ante, torquens,  
tamen interdum pergravis. Luce veniente, dolores  
adhuc moderatiores fiunt; ut aeger sperare incipiat,  
vim morbi jamjam transisse. Sed die vesperascente,  
modo crudeli spe sua exuitur; dolor sensim et alias  
juncturas occupat, miserique cruciatus, si fieri licet,

geminantur. Quae partes priore nocte doluerant, licet nunc doloris expertes sint, quamdiu immotae resistent, tamen vel minima situs mutatione, aegrum misere torquent, propter immensam suam irritabilitatem. Circa tempus usitatum, mane remissio fit, cum intervallis manens usque ad solitam vespere exacerbationem; tum vero dolores, vel alias juncturas, vel illas quae initio afficiebantur, occupant. Et sic crudelis morbus interdum tanta celeritate et vi augetur, ut miser, horrendis cruciatibus laceratus. gravissimos ploratus edat, mortem enixe exoptans, quam rerum desperatarum unicum solamen credit. Tandem fere omnes extremorum cum superiorum, tum inferiorum juncturae, ita afficiuntur, ut ne caput quidem ex pulvinari tollere queat, ad situm immensam restringendam. Infantis instar, a manu ministri et potus et cibus aegroti ingerendus. Stratorum pondus intolerabile; quare necesse fit, ut variis artificiis impediuntur, quo minus artus dolentes premant; et oportet artus pulvinaribus mollibus suffulcire; ut ea ratione, quoties aegro lubet, moveri a servis possint. Quamvis adhuc omnibus auctoribus sententia fuit, quam et Cullenus in Definitione curate memorat, dolores externo calore augeri, tamen de illa multum dubito. Quin potius credo, calorem rite applicatum perutilem esse, et dolores summopere levare. Doloris augmen equidem linteorum ponderi et maxime positurae corporis restrictae tribuo.

Nam et in fanitate, si cujus artus diutius unum eundemque situm fervarint, muscoli, quotquot agunt, fatigantur, et sensus ab hac re oriundus sensim peringratus fit. Quare cum in lecto sumus, et somno sopiti, natura dirigente versamus nos huc illuc, musculos diversos alternatim contrahentes et laxantes; quae res quieti et corporis refectioni multum favet; alias enim maxima noctis pars irrequieta foret.

Irrequies necessario inter caetera dolorem sequitur; nam quum mens sensum ingratum rejicere studeat, levamen quaerit per situs mutationem.

Aegrotus interdum e lecto ferri optat, sublevationis gratia, sed ipsius motus vel sola cogitatio terrore eum implet. Postulat haec res multos adjuutores, a quibus in laneis tegminibus summa cura portetur, situ horizontali, vel minimum motum graviolem caventibus, a quo, dolore non tolerando afficeretur. Haec situs mutatio ad tempus levamini est. Sed summa cura opus est, ne aer frigidus ulli corporis parti admoveatur, qui certo certius dolores auget. Aegrotus extra lectum positus aliquantum refectus videtur, ut levamen breve accipit; quod tamen mox taedium sequitur, et cupido in lectum revertendi, qui, quod recenter stratus est, per breve spatium pergratus videtur. Atque sic hic morbus tam saevus varia vehementia continuatur per plures dies, imo nonnunquam septimanas. Interdum muscoli intercostales afficiuntur cum magno inter

in spirandum dolore in latere, pleuritico non ab simili.—  
Alias, muscoli occipitales et cervicales afficiebantur,  
cum summa aegroti molestia. Sed hi dolores, ut qui  
juncturas afficiunt, paucis horis mitigantur.

Hic morbus nonnunquam per metastasin internas  
occupat partes. Quam rem et Clarissimus Gregory in  
clinicis praelectionibus memorat, et Clar. Home in  
clinicis experimentis, exemplis quibusdam firmat.  
D. Macbride quoque loquitur de tali metastasi alternis  
vicibus intestina torminibus crudelibus et vehementi  
diarrhoea, carnosas vero corporis partes acutis dolori-  
bus afficiente; ventre tranquillo, artus doloribus cruci-  
antur; his autem recedentibus, redeunt tormina et  
profluvium. Qua ratione aegrotus per plures septi-  
manas torquetur et hauritur.

Ipse exemplum memorabile hujus generis vidi, quod  
in fine dissertationis hujus narrabo.

Duratio Rheumatismi Acuti, ut antea dictum fuit, in-  
certa est, nec plerumque tanta vi saevit. Sed in morbi  
decurfu, utriusque lateris juncturae ordine afficiuntur,  
saepe iteratis vicibus, donec morbus paulatim recedit,  
aegrotus debilissimo manente. Sub initium urina ru-  
bra, post paucos dies magnam vim materiae lateritiae  
deponit. Quod tamen non sine intermissione fit;  
nam inter exacerbationes rursus sine sedimento rubet;  
Urina, ut videtur, cum remissionibus et exacerbationi-  
bus alternans. Alvus fere semper per totum morbum  
adstricta, quod symptoma aegrotus augere videtur,

ne dejectionibus ejusmodi molestiam capiat. Sudoris aliquid, maxime noctu, ab initio morbi, sed in parte corporis tantum, et ut videtur a doloris excessu, et citra levamen.

Mens per totum morbum sanissima, et animus haud demissus per remissiones. Tussis molesta interdum urget, et aegrum misere torquet. Dolorem, ruborem et tumorem tegumentorum circa affectas juncturas sequitur dispositio aliqua ad sudorem, sub finem morbi augere visa; quae evacuatio, si magna fuerit, evidenti est auxilio.

#### D I A G N O S I S.

Justa et accurata morbi ab aliis distinctio, qui multis similes putandi, tamen examine magis exquisito in diversa, symptomata facto, valde diversi inveniantur, tum quoad causas, tum effectus et medendi rationem, medicinam facienti maxime necessaria est. Sine hac, incerto pede gradietur, et saepius in errores periculosissimos incidet. Non tamen difficile est hujus morbi discrimen.

Nam soli hi morbi, Podagra, Syphilis et Scorbutus eum referunt. A podagra distinguitur, quod homines vegetos occupat, quod evidenter a frigore oritur, quod maxime magnas afficit juncturas, quod saepe ab una ad alteram juncturam movetur, quod musculorum si-

tum sequitur, quod saepius foeminas invadit, denique, quod generali diathesi phlogistica stipatur. Contra, podagra raro ante tricesimum quintum annum oritur, plerumque adhuc serius, hos praecipue afficiens, qui pigri sunt et luxuriosi, raro mulieres. Occupat imprimis juncturas exiguas, pedum praecipue morbus. Hereditarius est, et aegrotus per intervalla eidem est obnoxius. Rheumatismus quidem interdum hereditarius sed rarissime, et redire solitus, sed ob frigus. In podagra quoque morbus fere localis est, systemate patum turbato, praecedente saepe aciditate ventriculi cum languore, torpore cruris et femoris, venis cruris plenissimis. Die ante paroxysmum appetitus est ingens, et lachrymae oculos complent, aegrotusque iracundiae et aegritudini obnoxius. Denique paroxysmus incipit post mediam noctem, et omnium primum pedis pollicem occupat. Quibus rebus consideratis, discrimen podagram inter et rheumatismum facile patebit.

A Syphilitide facile distinguitur: nam in hac dolores profundiores et in centro ossium artuum positi sunt. Ossa cranii saepe afficiuntur; et plerumque nodis et exostosi stipatur. Dolor tactu non augetur, porro et hoc distinguitur, quod aeger antea lue venere laboraverit. Rheumatismus non ossa sed ligamenta et aponeuroses juncturarum tendineas afficit. Scorbutus nunquam non lividis maculis in multis corporis parti-

bus stipatur, ut et gingivis spongiosis, pressione minima sanguinem effudentibus, magna debilitate, frequenti haemorrhagia, &c. quae omnia in Rheumatismo nunquam apparent. Rheumatismus acutus, nisi summa cura adhibita, in chronicum abit, sed hae species facile a medico considerante distinguentur. In chronico nulla pyrexia, saltem non multum, nullus rubor, tumor vix ullus; dolores paucas juncturas occupant, non solent locum mutare; artus plerumque frigent, et dolores semper calore levantur; pulsus mollis, debilis. Caeterae affectiones locales rheumaticae, ut Lumbago, Sciatica &c, facile a morbo de quo scribo distinguuntur.

#### CAUSAE REMOTAE.

HAE recte in praedisponentes dividuntur et excitantes.

Causa predisponens illa peculiaris forma est, ille corporis habitus, illa propria constitutio, quae huic morbo praecipue obnoxia est. Temperamentum sanguineum, a D. Gregory ita descriptum; (constitutione corporis pleniore; compagine molliore, cute delicata, tenui, molli, calida, venis magnis, conspicuis, caeruleis &c.) in hunc morbum maxime proclive; Diathesis phlogistica, vel tonus systematis arteriosi auctus, incolae caeli septentrionalis; diaeta plena et lautae; exercitii parum; evacuationum solitarum diminutio aut

ſuppreſſio; venarum ſeſiones ſolitaē neglectae; perſpiratio minuta vel ſuppreſſa; diarrhoea periodica, haemorrhoides vel menſes reſpreſſi &c; quae cauſa ultima forſan praecipua eſt, cur tam ſaepe mulieres hoc morbo laborant. Qui ante rheumatismum paſſi ſunt, hujus reſitui obnoxii ſunt, quamdiu plethora arterioſa manet, nam conſuetudinum ſyſtematis relinquit; quare quoque qui Ophthalmia, Cynanche tonſillari, Catarrho, &c. affecti fuerint, his morbis poſtea obnoxii eſſe obſervantur. Nonnulli putarunt, evacuationes excedentes corpus huic morbo opportunum reddidiſſe, ob auctam irritabilitatem; ego vero nulla ratione concipere poſſum, quomodo diatheſis phlogiſtica, quae hujus morbi cauſa praediſponens maxime neceſſaria eſt, ullum nexum poſſit habere cum illa debilitate, quam evacuationes immodicae gignunt.

Cum hac prediſpoſitione neceſſe eſt ut jungantur cauſae excitantes, quarum frequentiſſimum frigus eſt, maxime cum humiditate conjunctum. Hinc morbus inducitur tempeſtate varia, veſtibus madidis, in quibus mortalis per aliquod tempus federit; expoſitione ad ſubitum frigus, poſt vehemens exercitium; ſi quis calido cubiculo ſedens, corpus calefactum frigidi aeris motui dederit, praefertim dorſum lumboſque; domiciliis humidis, recenter conditis, et eruptionibus cutaneis retroceſſis.



## CAUSA PROXIMA.

IN variis morbis considerandis, nil forsan tam arduum est inventu et descriptu, ac causa eorum proxima.

De hac re multas opiniones defenderunt scriptores medici.

Diu sententia valuit de lentore sive tenacitate sanguinis, tanquam causa proxima Rheumatismi. Alii propriam sanguinis acrimoniam finxerunt.

Cullenus illustrissimus, qui nuper obiit, has opiniones perfecte refutavit, posuitque multa quidem satis ardentia de eadem re. Afferit causam rheumatismi eandem esse, ac inflammationis a stimulo directo non pendentis; frigus applicatum vasa juncturarum praesertim afficere, quippe quae, membrana cellulosa minus quam partes artes inter juncturas sitae, tecta sint; frigus porro extrema vasa constringere, simulque in cursu eorum auctum tonum sive diathesin phlogisticam gignere; unde auctus sanguinis impetus et hujus transitui libero resistentia orientur, ideoque inflammatio et dolor; quibus addenda affectio quaedam singularis fibrarum muscularium, quae videntur quodammodo rigere, et motus minus facile suscipere, et inter hos dolore affici. Eadem affectio dolores ab una ad aliam juncturam propagare videtur, qui dolores gravius sentiuntur in illis extremis vasis, quae in juncturis ter-

minantur; quod oscillationes ultra haec non propagentur.

Ut rem igitur finiam, causa proxima inflammatio videtur esse membranarum et aponeuroseon, interdum et ligamentorum, quae etsi in statu naturali parum sensibilitatis habeant, tamen inflammata, acute sentiunt et gravissimos dolores gignunt.

### PROGNOSIS.

Licet hic morbus jure omnium phlegmasiarum maximo dolore stipari credatur, tamen vix unquam lethalis est; ne dicam nunquam, qua verus rheumatismus acutus. Saepe autem cum morbis epidemicis junctus visus est. Magnus Sydenhamus afferit varios morbos grassantis epidemici naturae participes esse, et Clarus Gregorius nonnullos annis 1781 et 1782 lethales rheumatismos ita explicat, ut cum febre typho contagiosa tunc saeviente junctos credat. Verisimile autem est typhum non rheumatismum mortem peperisse. Male curatus, aut in iis quos saepe ante adortus est, frequenter terminatur chronico rheumatismo pervicaci, quem saepe sequuntur paralyfis, anchylosis, et rigiditas non vincenda artuum affectorum.

Per metastasin cerebrum, pulmones, aliave viscera afficiens, pessimus est. Sunt qui hoc negant fieri, af-

ferentes tales affectiones a podagra, non a materia morbifica rheumatismi metastasi mobili oriri.

Fortasse autem his facultas nunquam fuit tale exemplum videndi, nam rariora sunt; quare in talem sententiam abierunt. Natura et medela faelix exempli, in fine hujus libelli narrati, talem metastasin revera fieri posse, his probabunt. Rheumatismus acutus semper fere resolutione, vel exudatione terminatur: exempla suppurationis sunt rarissima, quum morbus maxime aponeuroses tendineas afficit et ligamenta, suppurationi non obnoxia. Quamvis observarim in hoc morbo materiam gelatinosam effundi; tamen patet hanc citissime aut absorberi aut exsudari, quum tumores circa juncturas semper recedant. D. Storck exempla quaedam suppurationis memorat, in ulcera mali moris et perdifficilia sanatu abeuntia. Non est quod credamus morbum unquam per gangraenam terminatum esse, aut per scirrhum. Saepissime idem morbus bene terminatur citraque ullos effectus malos, (nisi quod aeger facilius in posterum eodem corripitur) in hunc morem. Si constitutione bona fuerit, si morbis praeteritis non laesus, si pyrexiae symptomata minus violenta, si vespertinae exacerbationes minuantur, si somnus aegrum reficiat, et excretio per cutem generalis fiat et copiosa, et satis diuturna; si urina per integrum diem noctemque magnam copiam sedimenti lateritii deposuerit; si haemorrhagia vel diarrhaea pyrexiam minuerit; tunc finis morbi felix mox sperandus.

## M O D U S M E D E N D I.

Quum hic morbus evidenter constet affectione inflammatoria aponeuroseon tendinearum et ligamentorum circa juncturas positorum, quam ingens diathesis phlogistica comitatur; haec diathesis tollatur necesse est.

Res maximi momenti hic loci consideranda, diaeta aegroti est, quippe sine qua, caetera medici auxilia nil profutura sint. Quare quam curatissime potero hanc describam.

## R E G I M E N.

Maxime necesse erit, ut aeger ab omni cibo animali abstineat; nec permittantur levissima juscula.

Etiam Butyrum, licet minima copia, pani tosto illitum, symptomata asperavit. Quamvis ipse aegrotus raro vel minimam cupidinem solidi cibi habeat, tamen cognati ejus, putantes eum dolore debilem reddi, vexare eum solent, varios cibos deliciores ministrantes, ut dulciaria, appetitum creandi gratia. Quod ut evitemus, necesse erit monere eos, quam mali sequi soleant effectus.

A vino, cardiacis, potu fermentato omnigeno sedulo abstinendum, etiam horum minima copia, eaque

dilutissima, Uno verbo, tota diaeta lacte et fragibus absolvatur, quae satis variari possunt, ad taedium et nauseam fugandum. Varia farinacea varietates praebent pergratas et cibi et potus; ut decoctum hordei, avenae tenuissimum, panada, aqua cum pane tosto; quod Angli vocant *stummery*; fructus conditi, ut robus ribesiorum; poma cocta; liquor vulgo vocatus *Lemonade*, lac amygdalinum; quae et similia feliciter usurpari possunt. Sed potus omnium jucundissimus, et qui aegrotis minime nauseam creat, praeparatur e lacte vaccino, cocto, cujus serum, ope lactis ferosi, separatum fuerit; vulgo vocatum *two milk whey*; et in Hibernia plerumque adhibetur pro potu ordinario in omnibus pyrexiiis. Hunc potum ego fere semper aegrotis tam jucundum inveni, ut per diuturnum morbum, alium praebendi nulla ansa esset. Sitim extinguit perfecte, ventriculo pergratus est, et plerumque leniter alvum ducit; unde ejus usus bonus erit ad diathesin phlogisticam fugandam. Multa exempla existant, in quibus infimae plebis Hiberni perfectam salutem recuperarunt, solo usu hujus serri cum panis paulillo ex tritico bene tosto.

Sydenhamus hanc diaetam egregie laudat.

Ab initio hujus morbi, aegri lecto committendi, nec ab eo removendi, nisi decubitu defessi; tum enim tolerantur, dum recenter sternatur. Per breve spatium tantum extra lectum sint; et summa adhibeatur cura,

ne frigore rursus icti, in eundem morbum recidant. Jam autem caetera, contra diathesin hancce, remedia consideremus, quorum princeps est.

### V E N A E S E C T I O.

Quae in nullo alio morbo tam certum auxilium est.

Sydenhamus, qui omnium primus, hujus morbi, ut videtur, tractationem plene consideravit, jussit venae-sectiones fieri statutis, singulorum, binorum, ternorumve dierum spatiis, ad quartam usque vicem, ultra quam nunquam necesse erit progredi, nisi aegrotus calidiore regimine usus fuerit. Pringle, cujus observationes medicae summam sibi attentionem vindicant, longius adhuc progreditur. Ne mihi vitio vertatur, si ipsissima proferam verba.

“ If the Rheumatism was attended with acute pains,  
 “ or swelling of the joints, the cure was chiefly to be  
 “ obtained by repeated and almost daily bleedings,  
 “ till the feverish heat and the pain were entirely re-  
 “ moved, or made much easier.

“ In this course we may proceed the more safely,  
 “ as those who are subject to this kind of Rheumatism,  
 “ are generally in the full vigour of life, and are ei-  
 “ ther plethoric, or able to bear such evacuations; add,  
 “ that frequent bleedings weaken the body less per-  
 “ haps in this disease than in any other.”

Licet tanti viri sententiam, ut par est, suspiciam, observandum tamen est, tam frequentes venaesectiones nequaquam postulari; quae, e contrario, mala vix tollenda in systemate procrearunt. Credendum quidem milites, quippe qui maxime e robustissimis et valde vegetis hominibus consistunt, quorum vigor semper servatur quotidiano exercitio; vitaque dura, quum omnibus exponantur tempestatibus;—quam alii homines has evacuationes melius perlaturos. In vita tamen civili talis praxis minime idonea. His profluviis saepe iteratis, tanta saepe aegrotorum debilitas orta est; ut contraria tractandi ratio prorsus postularetur; datis meracioribus vinis ad periculum praesentissimum propulsandum.

Alias quoque morbus degeneravit in invictum rheumatismum chronicum, cum convalescentia tardissima; insuper Hydrops secutus est, salute, in quibusdam exemplis, nunquam redeunte. Dum autem sic commonstrem, quam sint ineptae et periculi plenae, venaesectiones toties repetitae; observare debeo, venaesectionem intra certos limites praestantissimum esse auxilium, et plerumque prorsus necessarium. In initio morbi, duodecim vel viginti unciæ sanguinis, ex orificio magno, mittantur, secundum aegri constitutionem et magnitudinem morbi.

Sanguis missus semper tunicae coriaceae habet, plus minusve, eaeque pleuriticae persimilis. Quod phaenomenon

nomenon medicos saepe in errorem ducit, non in hoc morbo tantum, sed et in aliis; quippe qui venaesectio-nes eousque continent, donec haec crusta dispareat. Haec praxis quam sit incerta vix est qui ignoret; nec mei propositi est illius phaenomeni minutio-rem dare explicationem. Si, post sanguinem missum, generalis diathesis minuta videatur; si calor et fitis minus ur-geant; si magnum doloris levamen percipiatur; non e-rit quod plus sanguinis detrahamus. Sin vero nulla vel parva tantum mutatio sit, altera venaesectio fiat die insequente primae aequalis. Exempla perraro erunt, in quibus ulterius progrediendum; singula venaesectio ut plurimum sufficiet, si tractatio in genere rite fuerit instituta. Non abs re erit hic annotasse, in hoc mor-  
bo, ut in caeteris phlegmasiis, singulam venaesectio-  
nem largiorem, subita systematis inanitione facta, plus  
prodesse quam plures parciore. Dolore pervicaciter  
in uno loco saeviente, utilis erit venaesectio topica, ad-  
hibitis hirudinibus, generali praegressa. Venimus  
nunc ad

### E M E T I C A.

Quum in morbi initio saepe nausea et vomituritio ad-  
sit, ideo post venaesectio-nem Emeticum utile inventum  
fuit.

Emetica antimonialia hic anteferenda videntur<sup>3</sup>



quum duplex propositum exsequantur, data parvis dosibus et brevibus intervallis; non enim solum ventriculum purgant, sed et solent intestinorum contenta eliminare leniter; qua ratione usus praecavetur.

### CATHARTICORUM.

Quae in hoc morbo minime sunt idonea, propter magnam molestiam et aegritudinem, quam aegris solent facessere; cujus dolor immensus, si vel minime turbatus fuerit; rite considerandus. Quod si durante morbo, alvus adstrictior fuerit, tollendum hoc per clyσμα emolliens quotidie adhibitum, vel laxantibus mitissimis, ut chrysalis tartari, manna, tamarindis, sale polychresto, rupellensi, &c. quae dentur parvis dosibus, et justis intervallis repetantur, donec alvus respondeat. Sic enim data optimos edent effectus, et viribus suis refrigeratoriis, symptomata generaliora multum diminuent.

Post has evacuationes multi egregii scriptores usum nitri concelebrarunt, magnis dosibus et bene diluti, 2da. 3tiave quaque hora. Datum fuit ad drachmas decem, viginti quatuor horarum spatio. Aegroti, quibus haec methodus tractandi maxime profuit, robustiores fuerunt, et a nosocomiis castrensibus collecti; saepe autem ventriculum nausea afficere invenitur. Acida, quidem, ut aceti copia parva, puta hujus coch-

leare parvum, vel fyrupus succi Limonum, ingratum illum sensum praecavebunt. Nitrum, sic datum, interdum diureticum, interdum sudorificum est; quocumque tamen modo operatur, non tantum prodest in genere, ut nupera monstrarunt observata, quantum alii fecerunt ut expectemus. Symptomata quidem saepe mitigantur, at plerumque non diu, redeunt dolores vespertino tempore, uti solent, aequae violenti ac antea. Adde quod medela, sic instituta, longior fere semper fuit. Nil quidem tam desideratur in hoc morbo, quam ea praxis quae et symptomatum violentiam levet, simulque citam et efficacem praebet sanationem. Mihi saepe facultas fuit hujus morbi decursum observandi, et in varias tractandi methodos animum sedulo advertere.

Mea enim intererat, ut hoc facerem, quippe qui iteratis vicibus morbi gravissimis symptomatis vexatus fuerim.

Inter varia praxeos genera quae vid<sup>i</sup>, multum me movit efficax preparati cujusdam ex antimonio exhibitio: hoc preparatum licet apud Gallos magni estimentur, apud nos negligitur et vix in praxin sumitur: de quo dico, Kermes minerale est, Hoc remedium medici Corcagienses principes saepe praescribunt, non in acuto tantum rheumatismo, sed et post venarum sectiones in Pneumonia, et feliciter quidem. Hujus urbis Pharmacopolae, Kermes, ut et Tartarum emeti-

cum ex Parisiis invehunt; quum experientia docuerit, utriusque doses facilius statui, minoresque quantitates eundem affectum gignere, ac praeparatorum ex antimonio Londini factorum.

Post largam sanguinis missionem, datur Kermes quadrans grani cum pauxillo sacchari albi triti, in vasculo feri; quod post duas horas iteratur. Si lenis nausea non sentiat, vel dejectio laxa fiat, augetur copia ad trientem grani, post ad semigranum, et sic porro, donec nausea levis promoveatur.

Eadem copia, secunda quaque hora, Kermes repetitur, usque ad horam vigesimam quartam, vel quadragesimam octavam, interposito saepe potu seroso tepido. Quodsi Kermes vomitum vel dejectionem nimiam ciet, per quatuor sexve horas omittitur, postea copia minori, solitis periodis repetendum.

Plerumque post dosin secundam tertiamve hujus pulveris, constrictio cutis tollitur, et lenis fit Diaphoresis, generalis mox futura. Interim lecti lintea submoventur; aeger indusio laneo induitur; caeterum strata lecti levia sunt.

Eadem Diaphoresis manet, non multum aucta, per viginti quatuor horas, vel etiam duos dies; quo tempore aeger magnum levamen percipit. Pergitur in usu pulveris, sed majoribus intervallis, puta quatuor sexve horarum, aegrot, adhuc serum, vel alium potum leviozem similem quoties lubet, bibente. Hac ratione

morbus paulatim decrefcere videtur; pulfus fit latus et mollis, et minus frequens. Urina deponit fedimentum lateritium fatis largum; dolores redeunt minore violentia, et minus diuturni, et in multis exemplis paucis diebus ex toto difcedunt. In constitutionibus robuftis, altera venæfcctio faepe poftulabitur, dum haec fiant, quae fic efficaciora erunt. At licet ita generalis Diathefis fublata fuerit, tamen nonnunquam manet aliqua praeter folitum irritabilitas, in partibus antea affectis et reditus doloris et tumoris, licet multum imminutorum, tamen moleftus eft. Tunc laudatum nomine Doveri pulveris compositum, fi rite detur, vix non femper felicem eventum gignit. Optime dari videtur ad fcrupuli dofim, octava quaque hora repetendum. Debet aeger ab omni potu aliquamdiu abftinere, poft unamquamque dofim, ne naufeam creet. Hoc remedium largum fudorem eliciet, quam minimo calore dirigendum; fed pedes femper bene tegantur.

Sudor continuetur ufque ad 48vam horam, fi aeger eum bene fuffinere videtur; plerumque tamen viginti quatuor, trigintave horae fufficient. Maxima opus erit cura, ne per aliquid tempus in pofterum aeger frigido aere stringatur; illique perjucundum erit indufium laneum et ftrata lanea mutaffe. Quae autem fufficiuntur, debent bene igne ficcari.

Quod fi dum fudor provocetur, aegri vires deficere videantur, fubinde detur pauxillum vini. Per totum

hujus tractationis decursum, si alvus adstricta sit, quod plerumque fit, postulabitur Enema emolliens, vigesima quarta quaque hora, quod perutile erit, et multum tribuet ad morbum tollendum.

Nullus haesito dicere hanc methodum plerumque felicem habituram eventum. Pro me saltem dicam, me iterata vice per sex septimanas duasve menses cubiculo fuisse detentum, tamen novissime hoc morbo afflictum, post septem dies foras ambulasse, sumto kerme ut supra dictum fuit. Nec aliud symptomata restabat, praeter aliquam debilitatem, qua mox liberabar.

Quaecunque medici cura et attentio sint, magnam dispositionem habet morbus in quibusdam constitutionibus in chronicum statum abeundi. Hujus libelli limites plenam illius expositionem recusant, tamen pauca verba jure dicenda erunt de modis quibus, ne degeneret, praecaveatur; unde inducor quoque, ut multa applicata in hoc modo usurpari solita leviter attin- gam. Multa externe applicata sunt, ut partes in hoc morbo affectae levantur, qualia sunt fomenta, linimentum volatile, oleum camphoratum &c. Sed in Rheumatismo acuto, licet dolores aliquantisper levare videantur, tamen fere certo metastasin morbi efficiunt ad partes alias, forsan aucto periculo. Vesicatoria adhibita sunt, raro cum felici eventu, nisi ubi dolores per- vicaciter unum locum occupaverant.

Post idoneas evacuationes forsan balneum calidum

prodesset; hoc autem utendi locus non datur, propter ingentem aegri dolorem, quem crearet. Pediluvia saepe tentata fuere; sed aut nullo effectu, aut pessimo, asperatis symptomatis.

Panni lanei recentis juncturis affectis applicationem semper perutilem inveni. Hic, si adhibeatur, per totum morbum retinendus erit, et unaquaque junctura semel affecta, hoc testis manet, donec aeger salutem recuperarit. Dolorem minuit, largam humoris excretionem excitat a superficie partis; quae excretio videtur mali terminatio naturalis esse.

Lana paulatim humore impleta recenti subinde mutetur, et quidem citissime, ne admissus aer ingentem dolorem pariat. Reperi laneam antea admotam, licet lota fuerit et optime siccata, rursus applicatam dolorem non ut initio levare, sed nova opus esse. Ut eventum scirem, pannos bene lotos sulphureis vaporibus implevi, magnoque gaudio fensi, illos novis non esse posthabendos; cujus et pauperibus et nosocomiis utilis cognitio videtur. Haec methodus sanationem promovere videtur, continuam excretionem e cute partis affectae ciendo. Quare acrimonia illa peculiaris, quae, si ita dicere fas sit, in systemate latet, minuitur; saltem inflammatio decrescit et dolores multum levantur. Haec è cute excretio, initio larga, sensim minuitur; ita ut postremo nil praeter mollitiem

nitidam appareat, quo tempore morbus pene desit.

Sub finem, magnum propositum hoc est, cavere ne morbus chronicus fiat; in quem finem quam citissime constitutio roboretur. Sequitur corticem peruvianum, tonicorum facile principem, indicari; ex quo omnia suadent utilitatem expectare, praesertim quum in hoc stadio morbus saepe intermissiones habeat, ita ut dolores quosdam, una alterave junctura secundo quovis die sentiat. Licet autem cortex interdum bonos effectus prodat, tamen saepe secus est, doloribus potius auctis. Hic gummi guaiacinum plerumque prodest; quod optime exhibetur in dosibus scrupuli ad semidrachmam, cum mucilagine gummi arabici tritum, et in haustum, cum pauxillo aquae cinnamomi tenuis et syrupo, compositum. Cum alvus saepe deficiat, hoc remedium, hora somni datum, plerumque sedem laxam praebet, vel interdum duas, castino mane.

Per tres, quatuor pluresve noctes ordine repetitur simili effectum, quo reliquae morbi saepe fugantur. Interim cito appetitus redit, et tunc levis diaeta nutrienda, cum pauxillo vini permittitur. Aeger bene tegitur, et extra lectum retinetur quantum fieri potest. Debet etiam levi exercitio uti, in cubiculo, ope servi. Utatur hoc exercitio interjectis intervallis, quam saepissime potest, subinde sese lecto ad requiem committens. Paucis diebus fatis bene graditur, appetitus augetur, et cito robur acquirit. Artuum frictiones, et strigilis

usus, quamprimum hos perferre poterit, admodum utiles erunt. Simul ac tempestas faverit, foras vehatur; et quamprimum equo federe potuerit, isto exercitio utatur, quod perutile invenitur. Tempestate favente, frigidum balneum, mane quovis admotum, salutem pristinam reddet.

Quod sequitur, exemplum memorabile rheumatismi acuti, spero medicis non ingratum fore.

Foemina, viginti quinque circiter annos nata, quae semper sana et prae caeteris hilaris fuerat, mense Octobris, anno 1779 infantem enixa est. Paucis septimanis post, perfecta, ut videbatur, salute fruens, millia quaedam passuum equo vecta est; postea vero magnum torporem extremorum inferiorum, cum doloribus torquentibus circa genua, conquesta est. Pedes et crura aqua tepida submergebantur, cui pauxillum acetii additum fuit, horaque somni ferum lactis tepidum propinabatur. Hac ratione extremis levatis, brevi post abdomen dolores saevi corripiebant; contra quos fomentis utebatur, et mistura aperiente. Sequebantur liquidae sedes quaedam, mitigatis abdominis torminibus. Insequente vespere variae extremorum juncturae dolore, rubore, tumore afficiebantur, quae mane minuebantur, et die sequente abdomen iterum doloribus occupabatur. Contra haec mala, varia medicamina praecepta sunt, quibus mitigata quidem sunt,



ita tamen ut redirent semper. Aliquanto post invasit Diarrhaea, dolorum abdominalium comes. Diversis temporibus, emetica, opiata magnis dosibus, antimoniales variis formis, Cortex peruvianus, gummi guaiacinum, enemata anodyna et mucilaginosae, fomenta, et quaecunque alia remedia vel minimam auxilii spem suggerebant, data sunt, citra effectum permanentem.

Quamvis omnia tentarentur, pejus se habuit, juncturae cum inferiorum tum superiorum extremorum alternatim afficiebantur; his doloribus, semper cum torminibus et diarrhaea vicem mutantibus.

Diarrhaea in Dyfenteriam degenerare visa; dejectionibus mucosis, sanguineis, et foetidissimis factis. Hoc misero statu, circa octo septimanas erat; cognati et amici de salute ejus desperabant, morte quavis hora expectata. Sed amicus intimus cum meus, tum et ejus, me, ut eam viserem, orabat. Visi, licet invitus, nulla spe auxilii superstiti. Examinanti mihi, carpi cernebantur tumore, rubore et dolore ingentibus affecti; itidem genua; vox tam debilis, ut vix audiri posset; quasi frequenti gemitu consumpta esset; corpus macrum, licet minus ac quis crederet; lingua alba; magna sitis, et urina coloratissima; diarrhaea ex paucis horis absens. Pulsus parvus, frequens, sed durissimus, cum totius corporis superficiei ardore urente. Ex quibus symptomatis morbum rheumatismum

acutum judicavi. Venae sectionem proposui; et amicis ejus consentientibus, circa unciae octo sanguinis detractae sunt, densa crusta coriacea tecti. Levabatur fere statim et post duas circiter horas locuta est non sine hilaritate; pulsus mollior fiebat; conquesta vero est nauseam et malum oris saporem. Praebui tartari emetici Parisiensis quadrantem grani, quod paucis minutis operatum est, ejecta magna copia bilis viridissimi coloris, et odoris foetidi. Postea levata, in somnum profundum incidit per aliquot horas, a quo resecta et expergescens melius se habere coepit. Die sequente pulsus mollis, latus et multo minus frequens, fitis valde imminuta; temperamentum cutis aequius, perspiratio liberior; urina largum sedimentum deposuit, diarrhaea modica, nulla tormina. Vespere quaedam juncturae affectae, sed levius.

Potus constans serum lactis erat, sumebatque scrup. nitri purif: 2da quaque hora; nocte, magna diaphoresis secuta est, quae die postero continuavit; inter quam largiter hausit serum, (nam nitrum propter ventriculi nauseam <sup>m</sup> ~~est~~ amovebatur) pulsus naturalis sed debilis, lingua nitida, fitis nulla, diarrhaea fugata; et urina sine intermissione sedimentum lateritium deponebat; appetitu cibi gaudebat; accepit levem Panada, et cort. peruv. semidrach. 3tia quaque hora. Sic perexit per aliquot dies, doloribus noctu interdum urgentibus;

corticem fumere noluit. Praebui<sup>o</sup> gummi<sup>o</sup> guiacini  
semidrachmam cum mucil. gum. Arab. triti, forma  
haustus, hora fomni fumendi.

Nox placidior, unica tantum liquida sedes post  
haustum, qui sine intermissione per quindecim noctes  
repetitus, postea foeminam perfecte sanam reddidit.  
Ex quo tempore salutem retinens multos liberos<sup>o</sup> pe-  
perit.

F I N I S.

